

4

SUMMI PRETII
MARGARITAM,
DEUM

IN VENTO DELAPSUM,

Thefauri instar inæstimabilis',

SOLEMNI PENTECOSTES FESTO,

Studiosæ in Athenæo patrio juventuti,

quin imo cunctis sacri gazophylacii


cultoribus & amafis,

mente manuque porrigit devotâ

M. HENNINGUS WITTE,
Eloq. & Hist. P. P.

R I G Æ,

Literis GEORGII MATTH. NÖLLERI.



ISraëlitarum Rege Achabò
imperante, suos qui facilè ante-
cessores impietate superavit,
cælum integrò occlusum erat
trienniò, ac tellus ingenti ubi-
vis premebatur siccitate: Cum-
que nulla adeò in terram deci-

disset pluvia, montem ascendit Elias, divinæ, juxta
Basilium, in homines caritatis discipulus, ut ali-
quam inibi ætheris observaret mutationem. Tum
acerrimus flare cepit ventus, nubes simul atrì ad-
ducens coloris, quæ resolutæ immensum aquarum
effuderunt agmen, hiantesque passim campos irri-
gârunt. Atque sic sat diu expetitæ prosperò gran-
descebant proventu fruges & graminâ, quibus tam
homines, quàm pecora, reficiebantur multò gratis-
simè. Haud secus Pentecostali contigit tempore,
nisi quod non trienniò duntaxat, sed vel ultra ter
mille annos, fluctibus peccatorum adversis, ostium
fuerit cœleste oppilatum, ut non tantus benignita-
tis Evangelicæ imber inde stillaret. Tandem verus
ille Elias, CHRISTUS, præcelsa Olympi scande-
bat montium juga, gratiæ plenam excitabat pluvi-
am, ac Sacratissimum demittebat Spiritum, ut de-
vota credentium corda maximis suis saluberrimè
ifrigaret muneribus. De cœlo lapides alicujus pre-

tii ac margaritas, si Wolfio in suis fidendum memorabilibus, circa annum superioris ævi trigessimum secundum pluisset, non tantopere admiramur. Majus quippe miraculum est, cunctisque prædicandum seculis, quod, in sono venti vehementis, æstimatissima animæ nostræ Margarita, Sanctus nempe Spiritus, descendere, & ad terræ benignè divertere homunculos voluerit. Omnium longè superavit margaritarum virtutes & æstimationem, quicquid in humanæ gentis, Tartareâ peste deperditæ, reparationem æternamque salutem è polo tum in solum, sæcundissimò tanquam nimbò, delapsum est. Vetus naturæ indagator, Plinius, de quo Martinus Schockius sine pudore pronunciat, quod semper verum scribat, quando non mentitur, candorem in margaritis conspici existimat, si purus ros in arvum concharum influxerit, sordescere verò fœtum, si fuerit turbidus. Nos, è divinis edocti Pandectis, intrepidè ac evidentiori cum veritate asserimus; omnem hominis partem ex se lutulentum esse, semperque in horrido subsidere squalore, nisi purissimò mysticæ istius Margaritæ rore aspergatur, ac turbulentæ adhærentis flagitii sordes purgentur. Insanire nonnulli, blandiore præsertim fortuna ebrii, assolent, ingentes quandoque opes & tota fermè patrimonia, in concharum dura ac rotunda verruca, cum doctissimo ex Africa Patre lo-

quor

quor) inaniter profundentes. O quàm sapienter
agerent, si bonorum, quæ orbis quidem largiri
potest, jacturam spontè facerent, ut inæstimabilis
pretii Margaritam, Spirabile illud Numen, in pellu-
cidum pectoris sui scrinium atqve delitium desuper
nanciscerentur! Fuit, qui eximia doctoris cujus-
dam eruditi ac facundi dona delineaturus haud il-
lepidè concham pinxit clausam, cum lemmate:
GEMMAS ADAPERTA RECLUDET.
Nonne id Sacratissimo Flatui, doctori utpote om-
nium excellentissimo, jure meritoqve convenit?
Quàm primum enim ille cœli missus ab arce gre-
gis sui labia, ad maxima Dei proferenda mysteria,
aperiebat, & pretiosissimorum unionum gazophy-
lacium orbi exponebat, quod hætenus occlusum
videbatur, effusione autem solemni patefactum,
nil nisi prænobiles dabat gemmas conchylium
hocce æternum idemqve incomparabile. Nullum
verò heic occurrit dissidium, pugna invicem nul-
la, sive æthereus ac pentecostalis iste Spiritus ostreae
assimiletur, sive unioni. Utroqve enim modò no-
stræ succurrit indigentia, siquidem in eo, tanquam
concha, suaviter delitescimus, & margaritifera,
similiter ab eodem virtutem obtinemus. Unus est,
quæ facit omnia, & unus illum, qui mundo fuit, est,
eritqve omnia, **CHRISTUM**, omnibus ostendit.
Quo sine Cimmeriis in tenebris voluti jactamur, nec

mens nobis ignobilis alti quicquam agitat. Quoties afflatu ille suo pios passim & puros & obsequētes efficit? Quoties degeneres veteri in pectore reprimat motus? Nonne lites, odia feraque bella per eum quiescunt? Lavat, quæ sunt sordida, aqua humectat cœlesti arida, sanat saucia, inflectit rigida, focillat igne frigida, regit luce devia. Ita proinde largus opum lætos nos multiplici insignit munere, mentesque super æthera evehit. Cur non fotorem hunc amoris, autoremque recti animi, gazam diceremus prorsus divitem, cum margaritas quascunque, cunctis cum suis conchyliis, in infinitum superet, ac post se longissimè relinquat? Quemadmodum sol ostreã, quæ aqueus foetidusque humor est, in concha latens, aureis subinde radiis in insignem commutat margaritam; sic & graciosus divini Pneumatis aspectus, illustratione suã admodum salutari, flagitiosum convertendo ad pœnitentiam, efformat margaritam cœlo gratisimã. De Thecla, singulari pudicitie virginalis decore, quidam referunt, quod, pretiosæ instar margaritæ, ab amantium flammis impetita, castissimæ suæ virginitatis asylum inter solitudines ac hiantium saxorum cavernas tutissimum repererit. Hinc illius honorem hoc Distichon consignarunt:

Petra hiat, optatum tibi Thecla datura recessum,

Cum petit amplexus turba profana tuos.

Mens DEO in solidum dicata sapiuscule tot à per-versis Satanæ mundi que satellitibus perferent dolo-

res ac

res ac cruciatus, ut, quorsum fugiat, viam vix invenire possit. At cœlestis mox Paracletus adesse solet, ei efficacissimè acclamans :

Cælum biat, optatum tibi monstrat Pneuma recessum,

Cùm petit amplexus turba profana tuos.

Continua inter Anglos & Scotos, per XII. ferè secula, gerebantur bella, neque alterutra gens armis perdomari poterat. Tandem felici surrexit sidere, Margarita, Henrici VII. Angliæ Regis Filia, quæ unionis regnorum magnæ Britanniæ jecit fundamina, atque CCCLX. Inulas in unam redegit Monarchiam. Longè præclarius perfecit opus, sacrò Pentecostes die, Margarita nostra mystica, Altissimus Dei Spiritus, dum præpotenti Apostolicorum Mystarū ore, ultra tria fidelium millia, unò Christianæ caritatis copulavit vinculò, & ad cœleste regnum perduxit. Sunt, qui de Margaritæ, quam Comes Hennebergensis in matrimonium duxerat, partu ambigunt numerofo, nec credere possunt, quod CCCLXV. filios filiasque, in pœnam elusæ pauperculæ cujusdam, simul enixa fuerit. Nos sanè nequaquam dubitamus, quod vel unò hodie adhuc momentò, cooperante Margaritâ cœlesti, innumeri producantur liberi, aquâ & spiritu regenerandi, quamvis id non protinus cuivis ad oculum usque pateat. Nihil enim quicquam potentix, nihil decesit gratiæ, quâ olim cætum sibi congregavit obsequentium, multò

multò amplissimum sacra Numinis aura. Cui inter nos latet, quod flatûs hujus vigor egenos aliquando piscatores, è mapaliis luis, ad Evangelicæ prædicationis sonum, evocatos ita animaverit, ut per omnes hujus universi partes fervidè resonuerint? Quot divinâ illi converterunt luce homines, tot illicò margaritas cœlo ad perpetuum intulerunt splendorem. Cœsar Julius, annotante Svetoniô, margaritarum usum, nisi certis personis atqve ætatibus, perq; certos solummodo dies, apud Romanos adimere satagit: Sed quantum ejus profuit edictum? Tantundem ac restingendo incendio oleum. Papæ, immodicus tum luxus seculiqve labes legum perruperunt catenas. Utinam verò quotquot in orbe passim degunt, uraniam, quam summis nunc laudibus efferimus, Margaritam in intimo cordis reservatam haberent, nec ullô unqvâ tempore rursus amitterent! Quàm pretiosus foret in oculo Omnipotentis iste ornatus? Quàm ingens margaritarum ab una productarû ubivis numerus? Illas, quæ ex Oceano ingenti cum labore proferunt, summi esse artificis opera, suiqve distinctione aliquid trahere pulcritudinis, haud inviti fatemur. At tardè teruntur, ut nitent, subdolè struuntur, ut floreant, anxie perforantur, ut pendeant, & vanitati demum humanæ inserviant. His, ceu maris sputo, carere faciliè omnes possumus. Vesanum olim videbatur, unum Perocis, Perlarum Regis, unionem centum auri libris contra æstimari, & addicere tamen nolle, venditori. Unionem, quem hõc die quisqve nostrûm, cœlo nactus est, nemini tradamus emptorum, quamvis omnes mundi gazas pro eo porrigant. Sic ritè celebrabimus Pentecosten, inqve æternum plusquam margaritæ candore ornabimur. Dabam Rigæ d. II. Jun. An. c15 Ioc XXCVIII.